

## DE CONFESSIÖNE IN ITINERE AERIO

Quaestio non poterat agitari ante inventionem navium aëriarum, quoniam nec dubium surgere poterat deficiente et ignorato medio aërio, at subiecta materia omnino similis est alteri itineris maritimi, et quia de hac exstat lex (1), omnia quae valent pro ipsa possunt eadem ratione alteri applicari. Haec autem extensio non a quocumque legislatore ecclesiastico, sed a suprema auctoritate concedi potest. Cum itinera aëria cotidie frequentiora fiant, necessitati et utilitati fidelium erat subveniendum, quod "Motu Proprio"—"Animarum studio"—, Pii Pp. XII, f. r. die 16 dec. 1947, at promulgato die 28 ianuarii 1948, factum est, quo eadem facultas audiendi confessiones sacerdotibus iter maritimum arripientibus a can 883 concessa, extenditur, sub iisdem condicionibus, sacerdotibus, aërium iter arripientibus. Pro commoditate legentium referimus totum documentum pontificium:

### MOTU PROPRIO

*De facultate audiendi confessiones sacerdotibus aërium iter arripientibus concedenda.*

### PIUS PP. XII

Animarum studio compulsi, cum huic Apostolicae Sedi nonnulli significarunt locorum Ordinarii opportunum esse praescripta can. 883 C. I. C. circa facultatem audiendi confessiones sacerdotibus maritimum iter arripientibus factam, ad aëria extendere itinera, Nos, plane noscentes huiusmodi itinera inpraesentiarum cotidie frequentiora evadere ac volentes ut christifideles haud desit commodum quod e laudate Ordinariorum desiderio animarum proveniret sanctificationi, magna cum animi nostri oblectatione, de Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus ac decernimus ut quae can. 883 C. I. C. de facultate excipiendi confessiones sanciantur pro sacerdotibus maritimum iter habentibus, valeant atque extendantur, consentaneis quidem clausulis, ad sacerdotes iter aërium facientes.

Quae per Apostolicas has Nostras Litteras decrevimus motu proprio datas, firma ac valida in perpetuum manere praecipimus, contrariis quibuslibet minime obstantibus, ac praeterea iubemus ut ea vigere incipiant simul ac eadem praesentes Nostrae Apostolicae Litterae in Commentario officiali Acta Apostolicae Sedis nuncupato insertae fuerint.

(1) Can. 883.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Decembris  
anno MCMXLVII, Pontificatus Nostri nono.

Pius PP. XII (2).

Opportunum commentarium huius novi documenti pontificii non inutile, scientifice, videtur in bonum, maxime, animarum.

1) *De causa motiva huius "Motu proprio"*

Iam supra innuimus rationem huius documenti esse bonum animarum prosequendum, ut, quantum fieri potest, salutem fidelium etiam in itinere aërio directe (3) prospiciatur mediaque facillima et aptissima ministrantur omnibus qui vitam christianam ducere velint. Ceterum ipsa verba initialia expresse hanc causam motivam assignant; Summus Pontifex, vigilans Vicarius Christi in terris, ad animas Supremo Pastori Iesu Christo lucrandas, benevole excipiens laudabile ac pium desiderium a nonnullis Ordinariis locorum manifestatum, immo Suum reddens cum animi oblectatione, certa scientia et quidem matura deliberatione, testatur hanc facultatem concedere "animarum studio" compulsus et in "commodum sanctificationis fidelium". In his verbis elucere videtur illud misericors et divinum "Situs" Capitis, transfusum in immaculatam Sponsam Ecclesiam, quae sicut "apis argumentosa" ab initio suae existentiae animas quaerit et invitat ad hanc vitam Divini Sponsi satisfaciendam per sanctificationem et aeternam gloriam animarum, attingendo ab ipso Christo aquam vivam salientem in vitam aeternam.

2) *De figura iuridica huius constitutionis*

Constitutio praesens est generalis ratione vis et ambitus, at ratione materiae non est Bulla, neque Breve, sed Motus proprius in forma Decreti, extensionem can 883 concedentis. De facto inscribitur "Motu proprio" et bis in corpore dicitur agi de motu proprio. Quamvis R. Pontifex asserat extensionem huius can 883 concedere cum "animi Nostri oblectatione". "Motu proprio, certa scientia et matura deliberatione", attamen haec concessio pontificia rogata est a nonnullis Ordinariis locorum, qui, zelo animarum moti, hoc desiderium manifestarunt Apostolicae Sedi et non solum libenter auditi fuerunt, sed et laudes publicas receperunt a R. Pontifice.

(2) AAS, XL, 1948, p. 17.

(3) Indirecte aliqui quoque fideles iter aërium non facientes fruuntur beneficio huius concessionis.

3) *De obiecto huius "Motu Proprio"*

Obiectum ita exprimitur in casu: "de Apostolicae potestatis plenitudine, statuimus ac decernimus ut quae can 883 C. I. C. de facultate excipiendi confessiones sanciantur, pro sacerdotibus maritimum iter habentibus, *valeant atque extendantur*, consentaneis quidem clausulis, *ad sacerdotes iter aerium facientes*". Obiectum est omnino clarum, attamen ad clariorem rei intelligentiam et completam notitiam historicam, utile saltem nobis videtur cognoscere vexatam quaestionem quoad iter maritimum usque ad hodiernam disciplinam, eo quod materia est eadem in utroque casu.

Magna controversia, speciatim circa medietatem saeculi elapsi, agitabatur inter theologos an Ordinarius posset concedere sacerdotibus iter maritimum facientibus potestatem absolvendi fideles secum navigantes. Ad certam solutionem quaestionis et bonum animarum, Episcopus Nannetensis petiit a S. C. S. Officii utrum Episcopus possit dare sacerdotibus *unde naves solvunt* licentiam absolvendi navigantes *tempore navigationis*. Die 18 martii 1869, S. Officium responsum affirmativum dedit, sed valida erat iurisdictio "usquedum (sacerdotes navigantes ac approbati) perveniant ad locum ubi alius superior ecclesiasticus iurisdictione pollens *constitutus sit*" (4). Unde, non omnes confessarii approbati ab Ordinario loci poterant excipere confessionem fidelium navigantium, sed tatummodo illi sacerdotes navigantes, qui *specialem hanc facultatem* recipiebant ab Ordinario loci; 2) haec facultas poterat concedi non a quocumque Ordinario loci, sed tantum ab Ordinario Loci unde naves solvebant; 3) eadem facultas erat valida usque ad locum ubi erat alius superior ecclesiasticus constitutus.

Ex his clausulis, nonnullae difficultates oriebantur in casu; nam facultas recepta poterat dubia evadere (maxime in locis Missionum) utrum locus interiectus esset subiectus adhuc Ordinario loci concedenti an alteri; deinde, si in loco interiecto, navis mansisset uno vel altero die et a Superiore ecclesiastico loci nequibat peti licentia quia absens vel longe morabatur, omnes sacerdotes navigantes antea approbati, ipso facto appulsus, amittebant facultatem receptam et etiam continuato itinere, absque nova facultate Superioris ecclesiastici loci, nequibant per se audire confessiones eorundem fidelium navigantium. Propterea, plura incommoda sequebantur pro fidelibus, quae poterant superari a legitima potestate, unde specialis ipsius interventus petebatur.

(4) ASS, vol. 25, p. 449 (collectio V. Plazzesi).

Die 4 aprilis a. 1900, novum decretum prodiit S. R. et U. Inquisitionis statuens: "sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes, dummodo a proprio Ordinario, confessiones excipiendi facultatem habeant posse in navi, toto itinere durante, fidelium secum navigantium confessiones excipere, quamvis forte inter ipsum iter transeundum vel etiam aliquandiu consistendum sit diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis" (5). A praesenti decreto mutationes non parvae inductae fuerunt, nam sacerdotes navigantes poterant audire confessiones fidelium: 1) dummodo essent confessarii approbati a proprio Ordinario (propterea, non amplius, ut antea, requirebatur facultas specialis habita ab Ordinario loci "unde naves solvunt"); 2) et quidem, existente prima condicione, *toto itinere durante* et quamvis transeant *per diversa loca subiecta diversis Ordinariis*, immo et si *consistant diversis in locis diversorum Ordinariorum* (antea vero, in transitu per territorium alterius Superioris ecclesiastici, habita facultas ab Ordinario portus iam cessabat). At si aliquis facultatem audiendi confessiones non recipiebat a proprio Ordinario, sed obtinebat ab Ordinario portus initialis vel intermedii, fruebaturne iurisdictione delegata a iure quoad fideles navigantes? Iuxta verba allati decreti, negative respondendum videtur.

S. Sedes tamen praesto fuit difficultatibus enodandis, nam, die 13 dec. 1901, S. C. S. Officii novo huic dubio satisfecit: "Se nel decreto in data 9 Aprile 1900 intorno alla facolta di ascoltare in mare le confessioni dei naviganti per parte dei sacerdoti connaviganti autorizzati a confessare dai propri Ordinari, si devessero intendere compresi anche i sacerdoti autorizzati ad ascoltare le confessioni dai Superiori delle Caroline, i quali non hanno il titolo di *Prefetti*, benché abbiano peraltro giurisdizione con territorio separato.

R. In casu comprehendi—Ssmus adprobavit" (6)

Cum in praecedenti decreto, diei 9 apr. a. 1900, sermo fiat de *proprio Ordinario* facultatem recipiendi confessiones concedente, in casu supra considerato revera dubium grave, manifestum ac solutione urgente indigenis oriebatur. Ex tenore dubii intelligitur agi de Superiore Missionis sui iuris, ideoque cum iurisdictione in foro externo sicut fruebatur Ordinarius loci, ita ut, in proprio territorio considerari posset tanquam Ordinarius loci (sicut hodie nonnulli tenent). Certe, Superior Missionis sui iuris non est tantum Superior religiosus, secus iurisdictionem in fideles non obtineret, sed iurisdictionem illam a S. Sede recepit, propterea, saltem quoad con-

(5) ASS, vol. 32, p. 760.

(6) *Colectis Iuris Canonici Fontes*, vol. IV, p. 536, n. 1.258.

cessionem facultatis recipiendi fidelium confessiones, factam sacerdotibus ab eodem Superiore, in territorio eius iurisdictionis, merito comparari poterat, sicut hoc decreto factum est, Ordinariis locorum. Pro locis Missionum resolutio favorabilis valde utilis fuit, maxime ubi illa figura iuridica Superioris Missionis sui iuris iam existebat vel in posterum erigi poterat.

Aliud decretum magni ponderis, hac in re, edidit S. R. et U. Inquisitio, die 23 aug. 1905, concedens: "sacerdotes quoscumque maritimum ter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, ex cuius dioecesi discedunt, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario portus cuiuslibet intermedii per quem in itinere transeunt sacramentales confessiones excipiendi... facultatem habeant vel obtineant, posse toto itinere maritimo durante, sed *in navi tantum*, quoruncumque fidelium navigantium confessiones excipere, quamvis inter ipsum iter navis transeat vel aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis" (7). In hoc decreto additur sacerdotes navigantes posse confessiones excipere durante toto itinere, dummodo facultatem audiendi confessiones habuerint vel a proprio Ordinario vel ab Ordinario portus in quo iter maritimum incipiant vel ab Ordinario alicuius portus intermedii. At confessio erat excipienda: 1) tantum in navi; 2) et solummodo fidelium navigantium, non aliorum. Hae clausulae, certo, magisquam sacerdotibus, potius fidelibus non-navigantibus incommodum afferebant.

Remedium sat citius venit, nam, die 12 dec. a. 1906, eadem S. C. Inquisitionis ultimum decretum dedit hac in re, decernens (8): "sacerdotes navigantes... quoties durante itinere, navis consistat, confessiones excipere posse tum fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant, *tum eorum qui, ipsis forte in terram obiter descendentes confiteri* petant eosque valide ac licite absolvere posse etiam a casibus Ordinario loci forte reservatis, dummodo tamen, quod ad secundum spectat, *nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos adprobatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat*" (9). Extensio concessionis pontificiae (de iurisdictione delegata a iure, audiendi confessiones, pro sacerdotibus rite approbatis, perdurante itinere maritimo), superiore decreto, est magni momenti, nam: 1) non solum fideles navigantes, sed quoque alii fideles ad navim accedentes se confiteri valent apud sacerdotes itinerantes et ad confessionem approbata ab Ordinario proprio, vel portus initialis vel intermedii; immo si sacerdos obiter in terram descende-

(7) ASS, vol. 40, p. 24.

(8) Omnia decreta, de quibus egimus, fuerunt approbata a R. Pontifice in audientia Card. Praefecto concessa, singulis vicibus, die sequenti datae decreti.

(9) ASS, vol. 40, p. 25.

rit et fideles loci ab ipso petant se confiteri, recipere potest confessionem; 2) potest absolvere etiam fideles loci a casibus Ordinario forte reservatis, dummodo: a) *nullus vel unicus sit sacerdos approbatus*, et b) *facile loci Ordinarius adiri nequeat*. Hoc fuit ultimum decretum in subiecta materia ante Codicem, at putamus decursus temporis, ultimam quoque condicionem restrictivam sublatam fuisse, si interea codificatio non intercessisset, quae materiam assumpsit meliusque expolivit.

Codex I. C. in can 883 refert fere totam materiam ultimi decreti, at merito illas binas condiciones “dummodo nullus vel unicus sit sacerdos adprobatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat” sunt ablatae ad vitandas difficultates et dubia de validitate vel licetate in confessione excipienda et in bonum ipsorum fidelium. Tandem Commissio Pontificia ad canones authentice interpretandos adverbium “obiter”, die 20 maii a. 1923, dixit intelligendum esse usque ad triduum, imo et amplius quam triduum si loci Ordinarius facile adiri nequeat (10), ut infra dicemus.

#### 4) *De sacerdotibus fruentibus potestate huius “Motu Proprio”*

Iurisdictio, a R. Pontificie concessa, ad audiendas confessiones in itinere aereo est interpretanda ad mentem can 883; propterea omnes illi confessarii qui confessiones excipere possunt in navigatione maritima, servatis iisdem condicionibus, possunt quoque in itinere aereo. In particulari, allatum principium examini subicientes, est prae mente tenendum omnes sacerdotes, qui potestatem audiendi confessiones ab Ordinario loci, unde *discedunt* vel portus aerii unde *conscendunt* vel *interiecti* portus aerii, receperunt, gaudere potestate a iure delegata excipiendi confessiones *toto itinere aereo durante*. Ergo tres condiciones requiruntur: 1) ut sacerdotes sint approbati ad confessiones audiendas a proprio Ordinario loci, vel ab Ordinario portus aerii ubi incipiunt iter aerium, vel ab Ordinario alicuius interiecti portus aerii (relate ad proprium iter aerium absolvendum); 2) ut sacerdotes iter aerium arripiant; 3) durante *toto itinere aereo*, etsi *obiter* ad terram descendant, quacumque ex causa. Haec omnia in sequentibus clara fiunt ob peculiare examen uniuscuiusque partis.

#### 5) *De ordinario proprio in hac materia*

Cum in can 883 agatur de facultate rite accepta confessiones audiendi, praeterquam ab Ordinario portus initialis vel interiecti (qui necessario est Ordinarius loci), statuitur etiam sufficere si “a proprio Ordinario” sacerdotes acceperint facultatem audiendi confessionem. Dubium posset surgere

(10) AAS, vol. 17 (1924), p. 114.

ex eo quod sacerdos religiosus exemptus (11), qui, ad normam can 875, § 1, iurisdictionem delegatam audiendi confessiones a *proprio Superiore* vel saltem a *proprio Ordinario* recepit pro professis, novitiis et illis de quibus in can 514, § 1, iter arripiens aerium possit confessionem fidelium excipere durante toto itinere aereo necne, quoniam ipse est *approbatus a proprio Ordinario*, quaeritur sc. utrum nomine "*Ordinarii proprii*" iuxta can 883 intelligatur quoque *Ordinarius proprius religiosorum Religionis clericalis exemptae*. Controversia fuit inter auctores, quoniam ex decreto S. C. de Prop. Fide, diei 4 febr. a. 1907 (12), admittebatur quoque potestas delegata a Proprio Superiore Regulari (13). Die 30 iulii a. 1934, tamen, ex authentica interpretatione Pontificiae Commissionis (14), soluta est controversia in sensu negativo, quatenus nomine *Ordinarii proprii* in can 883, § 1, venit tantum Ordinarius loci et non Superior Maior Religionis Clericalis exemptae. Responsio negativa est logica illatio praescripti can 874, § 1 et 875. Nam in *hoc* decernitur Superiorem quoque exemptum posse delegatam iurisdictionem concedere sacerdotibus (tam religiosis quam saecularibus) ad audiendas confessiones professorum, novitiorum et domi degentium iuxta can 514, § 1. Unde, haec iurdictio delegata non valet pro audiendis confessionibus aliorum fidelium. In *priori*, e contra, statuitur iurisdictionem delegatam ad recipiendas saecularium confessiones a *solo* Ordinario loci concedi posse. Ratio est quia iurdictio Superioris exempti est personalis, dum iurdictio Ordinarii loci est territorialis. Iurdictio delegata a Superiore exempto extenditur quoad personas quantum extenditur eius potestas, sc. si proveniat a Moderatore Supremo, sine restrictione ad locum, valet ubique, si a Superiore Provinciali pro tota Provincia religiosa (15). Iurdictio vero delegata ab Ordinario loci valet pro toto territorio dioecesis, nisi minor facultas concedatur (16), attamen

(11) Iuxta can. 875, § 1, Superior exemptus, ad normam Constitutionum, potestatem delegatam recipiendi confessiones professorum, novitiorum et personarum de quibus in can. 514, § 1, concedere potest non solum suis sacerdotibus, sed etiam aliis sacerdotibus religiosis diversi Instituti Religiosi immo et sacerdotibus saecularibus. At agimus supra de *sacerdote exempto* approbato a Proprio Superiore, quia pro sacerdote alius Religionis vel e clero saeculari Superior exemptus concedens potestatem delegatam *non est Ordinarius proprius*.

(12) ASS, vol. 41 (1907), pp. 238-239. Codicis Iuris Canonici Fontes, vol. VII, p. 547, n. 4.941, ubi, in casu, requiritur, ut Regularis legitime fuerint approbati "a proprio saltem superiore regulari".

(13) AAS, vol. XXVI (1934), p. 404.

(14) PH. MAROTO, Comm. pro Religiosis, a. 1934, pp. 356-358, ubi de hoc dubio disserit.

(15) Ita in Constitutionibus O. FF. MM. CONV. statuitur: "Fratres, qui a Ministro Generali facultatem audiendi fratrum confessiones obtinuerint, *omnium fratrum totius Ordinis confessiones excipere* possunt; qui vero a Ministro Provinciali approbati fuerint, *intra fines suae Provinciae omnium fratrum* etiam aliarum Provincialium confessiones audire possunt" (Constit. O. FF. MM. CONV., Romae, 1932, p. 181, n. 529).

(16) Ordinarius loci posset concedere iurisdictionem delegatam audiendi confessiones solummodo pro aliqua parte dioecesis vel pro aliqua civitate vel pago.

in casu itineris aerii, cum non agatur amplius de iurisdictione territoriali, sed potius de inter-territoriali, potestas delegata a iure non patitur, toto itinere durante et servatis condicionibus, restrictionem territorialem. Si aliquis sacerdos obtineret potestatem delegatam a S. Sede pro aliquo territorio, relate ad concessionem audiendi confessiones in itinere aërio, est in conditione iuridica ac confessarius approbatus a *proprio Ordinario*, unde durante itinere aërio excipere potest confessiones.

Qui gaudent potestate ordinaria in favorabiliore conditione inveniuntur relate ad subditos quam confessarii delegati a iure; etenim "qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere *ubique terrarum* (17), propterea, dum horum potestas ubique exerceri potest in casu, delegati, vero, absolvere possunt dumtaxat durante toto itinere aërio.

### 5) *De subiecto passivo huius "Moto Proprio"*

Omnes fideles utriusque sexus, etsi sint Orientales (18), possunt peragere confessionem apud sacerdotem legitime approbatum, iuxta dicta in pp. 6-8 de Ordinario proprio. Quaedam notanda: 1) si sacerdos, iter aërium arripiens, a proprio Ordinario loci est approbatus ad confessiones fidelium *utriusque sexus* excipiendas, nulla est difficultas, existentibus omnibus condicionibus can. 883, unde potest audire confessiones tam virorum quam mulierum; 2) quando, vero, sacerdos, iter aërium arripiens, est approbatus ab Ordinario loci ad virorum tantum confessiones audiendas, potestne durante itinere aërio confessiones quoque mulierum excipere? Nisi legitima potestas aliud decreverit, ita respondendum videtur: a) si sacerdos approbatus *in genere* ad virorum tantum confessiones, at in particulari ei concedatur ut possit in aliqua *ecclesia determinata* etiam mulierum confessiones admittere, perdurante toto itinere aërio, absque ulla dubitatione, concedendum est talem sacerdotem posse excipere confessiones tam virorum quam mulierum. Ratio, quia restrictio iurisdictionis in casu est res odiosa et cum concessio fiat in bonum animarum, favor est late interpretandus! ceterum, illa iurisdictionis, quoque in mulieres, in ecclesia determinata, consideranda est ut potestas delegata quoad partem dioecesis ac talis sacerdos est semper approbatus *ab Ordinario proprio* ad audiendas confessiones utriusque sexus; b), si sacerdos, iter aërium arripiens, est

(17) Can. 881, § 2.

(18) Can. 881, § 1.



*approbatus tantum ad virorum confessiones* (19) et nullibi (20) potest confiteri mulieres, tunc probabilius videtur recipere posse etiam confessiones mulierum, servatis omnibus condicionibus can. 885. Ratio est quia est approbatus ab Ordinario loci ad confessiones audiendas, quae est unica conditio can. 883: ibi, distinctio inter confessarios approbatos pro viris tantum vel pro mulieribus vel pro utroque sexu non habetur, sed agitur dumtaxat de *approbatis*. Deinceps, in dubio iuris leges irritantes et inhabilitantes non urgent (21), propterea, certe valida et licita est confessio usquedum maneat dubium iuris. Bonum commune suadere videtur hanc interpretationem, quoniam favor fidelibus proposit magis quam sacerdoti iter aerium facienti (22).

Fideles, quorum confessio recipi potest a sacerdote rite approbato et iter aerium agente, sunt sequentes: a) omnes fideles cum tali sacerdote navigantes, tam addicti navigationi ex officio, quam iter ducentes ad propriam necessitatem vel commodum; b) omnes fideles ad navim aeriam (iam proximam ad iter vel durante itinere) *accedentes* sive ratione officii, negotii, vel ad visendos amicos aut ratione curiositatis vel alia quacumque de causa; c) omnes fideles intermedii loci appulsus navis aerae, si sacerdos ab aliquo Ordinario loci approbato *obiter* ad terram, quacumque de ratione, venerit.

#### 6) De adverbio "obiter"

Can. 883, § 2 non assignat terminum (diem vel plures dies) intra quem sacerdotes legitime approbati et navigantes possunt recipere confessiones in loco intermedio appulsus relate ad totum iter aerium, sed habet adverbium "obiter", sc. tales sacerdotes possunt audire confessiones quoque fidelium loci "qui ipsis (sacerdotibus) ad terram *obiter* appellentibus confiteri petant". Ex authentica interpretatione Pont. Commissionis, tales sacerdotes possunt adire ecclesiam vel sacellum ibique confessiones audire omnium fidelium petentium etiam per tres integros dies, "si tandiu navis in portu maneat" vel dicti sacerdotes alteram navim expectare debeant per integrum diem vel per integros duos vel tres dies. At si manere debeant ultra triduum, possuntne recipere confessiones in loco intermedio itineris?

(19) Romae, e. g. sacerdotibus antequam a. 34 expleverint, non conceditur iurisdictio delegata recipiendi confessiones mulierum, sed tantum virorum, etsi triplex periculum pro confessione audienda feliciter subierint.

(20) Agimus de casu ordinario, non de articulo mortis, in quo et sacerdotes non approbati recipere valent confessiones (can. 882).

(21) Can. 15; cfr. quoque can. 209.

(22) Cfr. F. CAPELLO, *De Sacram.*, vol. II, Romae, 1934, p. 269, n. 300 ad 3.

Ex responsione authentica, dicendum: "*negative*, si loci Ordinarius facile adiri possit" (23). Unde, obiter in terram descendere intelligitur usque ad triduum integrum et etiam ultra spatium trium dierum cum Ordinarius loci facile adiri nequeat. Deest facilitas adeundi Ordinarium loci, quando tam longe est e loco ut, iuxta circumstantias particulares, impossibilitas vel incommodum adesset, medio ordinario, petere licentiam vel, adhibita morali diligentia, ignoretur ubinam sit, vel ob aliam impossibilitatem moralem.

### 7) *De potestate absolvendi "durante toto itinere"*

Sacerdotes confessarii, sub condicionibus positis (24), durante toto itinere aereo, etsi absolvere nequeant in casibus a iure reservatis, possunt tamen absolvere a casibus quos Ordinarius loci sibi reservavit ad normam can. 897. Iurisdictio a iure delegata "Motu proprio", iuxta can. 883, potest esse *per se* maior quam iurisdictio forte delegata ab Ordinario illius loci ad confessiones audiendas. Nam, Ordinarius qui casus sibi reservavit, in genere non concedit aliis confessariis (25) facultatem absolvendi ab illis reservatis et sacerdos, iter aereum (sicut et maritimum) arripiens, durante itinere per loca dioecesis, ipso iure gaudet potestate absolvendi a reservatis Ordinario loci, posita condicione qualificata de praevia approbatione ad confessiones audiendas, in genere et iuxta dicta de "Ordinario loci approbante". Iurisdictio ergo delegata ab Ordinario loci in casu sacerdotis iter aereum arripiens, non solum non extinguitur extra territorium dioecesis vel locum determinatum, sed toto itinere integra manet, immo nec coarctatur a casibus Ordinario loci reservatis. Haec potestas absolvendi a reservatis Ordinario loci revera opportune conceditur a iure quatenus facile casus reservati possent ignorari a sacerdote peregrino et ut fidelibus detur facilis occasio peragendi confessionem absque difficultate, dum petere Ordinarium loci vel Canonicum Poenitentiarium vel alium in his delegatum durum fieri posset poenitenti ob circumstantias, veluti distantiam loci vel quia est talibus confessariis notus et nolit instituere confessionem apud ipsos vel nequit iter aggredi ad confessionem extra dioecesim peragendam, etc....

(23) AAS, vol. 16 (1924), p. 14.

(24) Cfr. can. 883, §§ 1 et 2.

(25) Facultas absolvendi a reservatis loci Ordinario ipso iure competit Canonico Poenitentiarium iuxta can. 899, § 2.

8) *De tempore exercitii huius potestatis*

Facultas audiendi confessiones in casu valet *toto itinere durante*. At quando incipit? Statim ac aliquis iter aerium moraliter incipere censetur. Non quando sacerdos e domo egreditur ad portum aerium petendum, sed quando iam ibi est connumeratus inter arripientes et iter aerium incipit, nam dicitur "toto itinere", unde si navis aerea adhuc currere non incepit, nequit agi de itinere aereo, quoniam iter aerium non est inceptum.

Facultas absolvendi valet *durante toto itinere*, etsi non sit continuum ob appulsum navis aerae in aliquem portum causa reparationis vel recreationis vel visitationis vel ad aliam navim aeriam assumendam vel ob aliam causam, dummodo pergi debeat iter, unde durante itinere, sacerdotes legitime approbati excipere possunt confessiones fidelium tum navigantium, tum ad navim aeriam accedentium, tum fidelium loci petentium si ad terram descenderit, at., in casu ultimo, dummodo non consistant ultra triduum in ordinariis contingentibus et etiam ultra triduum si commode petere nequeant licentiam ab Ordinario loci.

Iurisdictio delegata a iure, in casu nostro, *cessat finito proprio itinere* aereo, sc. post obtentum terminum ad quem *proprii itineris aerii*. Proinde, relicta navi aerea, cessat potestas delegata. Quid iuris, si facultas audiendi confessionem a proprio Ordinario loci recepta (quae in subiecta materia, immo et practice in casu allato, est condicio sine qua non ad fruendum iurisdictione delegata a iure) cessaverit durante itinere? Censemus conditionem requiri ad initium itineris aerii, propterea, etsi cessaret durante itinere iurisdictione territorialis, quatenus recepta ab Ordinario loci, tenemus tamen, toto itinere aereo, manere iurisdictionem delegatam a iure (26). At si iurisdictione delegata ab Ordinario loci iam cessaverit ante iter aerium, talis sacerdos nequit dici approbatus ad confessiones excipiendas, ergo negamus (27) talem sacerdotem gaudere facultate concessa a can. 883.

9) *De vacatione legis in nostra quaesitione*

Promulgatio facta est modo nunc ordinario (28) in Commentario Officiali Actorum Apost. Sedis. At iuxta can. 9, inter promulgationem et obligationem legis tamquam norma generalis statuitur spatium trium men-

(26) F. CAPPELLO, o. c., vol. II, p. 269 ad 3, ubi idem tenet quoad iter maritimum.

(27) Idem, l. c., sententiam affirmativam sequitur, dicens "agi de simplici condicione *caque prius iam verificata*". At obicimus conditionem actu esse inexistentem, propterea nequit valere.

(28) Can. 9.

sium ab appositione diei in eodem Commentario (29), quod spatium appellatur vacatio legis. In eodem tamen can. 9 duae exceptiones praevidentur, quatenus leges statim obligant si "ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta". Nunc, in hoc "Motu proprio" non regulam generalem elegit Pontifex, sed iubet extensionem can. 883 ad iter aerium valere "simul ac eadem praesentes Nostrae Apostolicae Litterae in Commentario Officiali Acta Apostolicae Sedis nuncupato insertae fuerint". Hae Litterae Apostolicae datae sunt die 16 mensis dec. a. 1947, at insertae sunt in Comment. Officiali die 28 mensis ian. a. 1948, proinde tali die sunt promulgatae et statim vim habuerunt absque ulla vacatione.

Pastori animarum, Christo Iesu, laudes perennes sint etiam ob infinitam misericordiam in animabus sanctificandis ope fontium gratiarum seu Sacramentorum iuxta progressum vitae socialis magis magisque in dies applicanti ac distribuenti.

JOSEPHUS SIRNA, O. D. M. Cano.

Professor in Pontificia Facultate Theologica Romana  
Ordinis Minorum Conventualium

---

(4) Dies appositionis computatur, unde tempus obligationis incipit recurrente die eiusdem numeri et menses sunt computandi ut sunt in calendario. Cfr. can. 34, § 3, 2.<sup>o</sup>